

archetypo *o* praevaluit, ut ex his optimorum librorum (Harleiani et Leidensis) lectionibus, quas Luciano Muellero debeo, apparet: *o* est in utroque p. 20, 12; p. 11, 20; p. 84, 19; p. 97, 17; 84, 17 (et dolo): fluctuant libri p. 466, 25 (*o H, u L*); 503, 26 (*o H, u L*); 422, 30 (*o H, u L*); 184, 29 (*o LH<sup>2</sup>, u H<sup>1</sup>*); 394, 32 (*o H, u L*); 500, 17 (*o H, u L*); 423, 29 (*o H, u L*); 331, 29 (*o ex corr. H, u ex corr. L*); 170, 25 (*o H<sup>1</sup>, u LH<sup>2</sup>*); 334, 29 (*o H, u L*); 335, 29 (*o H, u L*). Quattuor locis (p. 501, 10; 227, 20; 536, 24; 164, 30) uterque codex *u* habet. Denique apud Cic. Cat. m. XIV 50 et *o* et *u* in libris est. Haec testimonia qui accuratius consideraverit, *Pseudulus* formae auctoritatem perparvam esse non poterit sibi non persuadere. Quae cum ita sint, non dubitavi, *Pseudolus* formam revocare, quippe quam ne ratione quidem prorsus destitutam esse Fleckeiseno assentiar, praesertim cum hanc formam dolosi servi indoles Romanis auribus commendasse videatur. Cf. Lorenzius Philol. vol. XXXV (a. 1876) p. 153 (cur tamen huic rei non nimiumtribuendum esset exposui Anal. Pl. p. 115) et Iordanus 'Krit. Beitr.' p. 56.\*)

Versuum distinctionem quam A praebet diligentissime me enotasse consentaneum est: idem de B dicendum, nisi quod in eis scaenis iambicis sive trochaicis, de quarum vera descriptione ne levissima quidem esse dubitatio posset, apparatus onerare nolui. Ne tamen quid deesset, hoc loco reliquam diversitatem ponendam esse duxi omnem. Sunt igitur initia haec (maiusculis litteris, verae descriptionis

\*) De reliquis nominibus non multa habeo quae addam: nam quod de Calidori nomine et Fleckeisenus dubitavit *Calydorus* vel *Caludorus* forma commendata et Ussingius *Polydorus* coniciens, hoc certe nemo probabit, illud merito spreverunt Ritschelius et Lorenzius. Ceterum cum Ritschelio Opusc. vol. III p. 336 nomen a *Καλόδωρος* ducendum putaverim, non a *καλεῖν* et *δῶρον*, ut visum est Spengelio ('Ueber die lat. Komoedie' p. 9). Idem Spengelius ibidem p. 15 Pseud. v. 210 formam *Xystilis* vindicare conatus est, quae esset a fricando ducta, ut *Xystilis* idem significaret, quod *fricatrix*. Quae sententia etsi primo obtutu admodum arridet, tamen probari vix possit. Etenim si verum est quod testatur Loewius, XYTILIS exstare in A, illud cum *Xittilis* scriptura codicum BCD vix melius coniungi poterit, quam ut *Xutilis* = *Ξουθιλίς* inde efficiamus. Nam in onomatologicis quaestionibus vel magis quam in aliis a librorum scriptura proficiscendum esse negari nequit.